





*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





1786.

1. Eisenhart, Ernestus Ludovicus Angulus: De legitimatione liberorum illegitimosum porcipue secundum jus Germanicam hodie nam.
2. Haebelin, Paul. Vinnii.: De vero sicut veteris Palatii regalis et Imperialis Weblae fide diplomatum et veterum scriptorum episcopatus Sti. Wersseus: asser-  
to.
3. Hagemann, Theodorus: De expectativis feudatibus in terris Brunsvici - Lincburgicis
4. Wernsdorffius, Jr. Christianus: De pygostibus impe-  
rii Romani locus servii grammatici et Virgil-  
len. l. 7. v. 188. expensus.

1787.

Eisenhart, Jnr. Ludov. Aug.: De poena legibus Romae  
nis ad verum vindictam privatam senecta in foris  
atque valida.

1788.

1. Mueller, Joes. Ferdinand.: De causis, quae privilegia  
satis innotale reddunt.

1788. z.

2. Schmidt, Carolus Ludovicus Heymann: De usu juris Romano Italico in foro Hamburgensibus

1790.

- 1<sup>a</sup>. b  
2. Bischoff, Joannes Nicolaus: De fœderis oblatio  
2 Exempl. 1790

1791.

- Schell, Joannes Christianus: De justis limitibus lege Anasteriana nominis cessionis potestis.

1792.

1. Gell, Laurentius, de: De difficultatibus quibusdam directivis doctrinis. p. I
2. Güntherus, Christianus Augustus: Theses juris controversi
3. Kuhn, Carolus Fridericus: De applicatione juris Romani ad instituta Germaniæ propria.

4. Leopold, Paul Christoph Aug: De effecta novi belli quoad  
vim obligandi quoad vim obligandi pristinae  
pacificationis

5. Munder, Henricus Josephus: De praecipuis speciebus  
quibus rectoris debitor conveniri possunt?

1794.

1. Bischoff, Joannes Nicolaus: Ad audendam orationem:  
De aere alieno principum qui professionem phil  
ord... auspicaturus est. - - iuribus. Praeterea  
sunt nonnulla de putitate rerumque camerarum  
studis, juris cultibus maxime necessariis

2. Friccius, Albertus Philippus: An compensationis  
obstet praescriptio?

3. Hoechy, Christianus Hieronimus Gottlieb: De probatione  
ad perpetuam rei memoriam.





1786, 1 1  
479

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
LEGITIMATIONE LIBERORVM  
ILLEGITIMORVM  
PRAECIPVE SECVNDVM  
IVS GERMANICVM HODIERNVM.

QVAM  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ORDINIS  
IVRECONSVLTORVM HELMSTADIENSIVM  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
CAPESSENDIS HONORIBVS  
AD DIEM XIII OCTOBRIS C1813CCLXXXVI  
IN IVLEO MAIORI  
MORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSVETIS  
PVBLICE DEFENDET  
ERNESTVS LVDOVICVS AVGVSTVS  
EISENHART

HELMSTADIENSIS  
IVRIVM CANDIDATVS.

HELMSTADII  
EX TYPOGRAPH. ACADEM. SCHNORRIANO

DISSENTIO INVENIENS  
DE  
LEGITIMATIONE LIBERORVM  
ILLEGITIMORVM  
TRALICIVE SECONDA  
INS GERMANICVM HODIERINVM  
AVTORITATE  
ILLVSTRIS ORDINIS  
INCONSULTORVM HELMSTADENSIVM  
SYMMS IN VTRIQVE IURE  
CAPESSENDI HONORIBVS  
AD DIEM XIII OCTOBRIIS MDCCCXXXVI  
IN AULIS MAIORI  
MAGIS AVTE ET VICE MEDICVM CONSISTENS  
VIRIDIS DEFENSIT  
FRANSTVS LYBONICVS AVGVSTVS  
EISENHART  
VIRI CANONICI  
HELMSTADENSIS  
ACADEMIAE SCIENTIARVM





DISSERTATIO INAUGVRALIS  
DE  
LEGITIMATIONE LIBERORVM  
ILLEGITIMORVM  
PRAECIPVE SECVNDVM IVS GERMANICVM  
HODIERNVM.

INTROITVS.



Matrimoniorum sanctitatem populi qui-  
que cultiores et antiqui et novi  
terrarum orbis illibatam ac variis in-  
stitutis et legibus commendatam esse  
voluerunt. Spectant eo imprimis,  
quae circa liberos ex alio praeter le-  
gitimum connubium prognatos latae sunt leges, quippe quae non  
tam id intendunt, vt illorum conditionem praeter culpam su-

am infelicem et miseram reddant, quam ut respectu legitimorum deprimant, horumque statum magis honorabilem et fortunatiorem ostendent. Interim quum facile animadvertendum sit, has leges nec satis efficaces esse ad prohibenda et coercenda illicita et promiscua connubia, nec omnino nulla damna varii generis secum ferre, occurrere his denuo studuerunt respublicae et civitates, permixta illegitimis venia, ad praerogativas, iura et conditiones legitimorum emergendi. Quid igitur hodiernum imprimis, quo nos utimur, ius circa hoc emendandae conditionis nativae genus ferat, libello hoc paullo accuratius disquirendum suscepi. Erit ille in tria capita divisus. Primum enim exponenda est conditio illegitimorum in universum; deinde natura ac ratio perducendorum illegitimorum ad iura et statum illorum liberorum, qui legitimo oriundi sunt coniugio, quem quidem actum uno verbo *legitimationem* vocare liceat: denique dicendum de illius effectu. Etsi vero quemadmodum vera natura ac indoles legitimationis liberorum illegitimorum tantummodo secundum illud ius, quod in *Germania hodie* obtinet, comparata sit, disputaturus sim; tamen, cum legitimatio ista origine sua non plane patrium sit institutum, sed maxima parte Romanis legibus introductum, atque plurima, quae in corpore iuris civilis de eo traduntur praecepta, apud nos quoque hodiernum observentur, hinc non modo non otiosum ac superuacaneum, sed omnino etiam necessarium visum est, priusquam

quam hodierni et patrii iuris circa legitimationem placita exponam, paucis declarare rei huius naturam et rationem secundum antiqui et Romani iuris regulam. Quo pacto id quod affecurus videor, ut utriusque iuris differentiam eo et facilius et rectius ob oculos ponam. Interim ne centies acta agam, brevissimis hunc locum, qui est de iure Romano, in singulis, quae disputanda sumsi, argumentis, complectar, siquidem haec materia tot tantorumque iureconsultorum scriptis \*) exposita et exhausta est, ut nulla amplius opera mea opus habeat.

---



---

CAP. I.

DE CONDITIONE ILLEGITIMORVM

---


§. I.

*De conditione illegitimorum 1) apud Romanos.*

**L**iberorum illegitimorum i. e. natorum extra iustum matrimonium alia conditio erat apud Romanos, alia apud nos  
 A 3 hodie

\*) Conf. CHR. THOMASII differt. de usu practico doctrinae institutionum de legitimatione. Hal. 1713. G. Iordens diff. duae de legitimatione.

Traj. ad Rh. 1742 et 43. Recusae in Fellenbergii Iurisprud. antiqua T. II. Plures recenset Bibliotheca Lipenii et suppl. III. Schotti sub v. *Legitimat.*



hodie est. Romano enim iure illegitimi erant vel naturales, vel spurii, vel ex damnato coitu progeneriti, quo incestuosi et adulterini referebantur.

Quod attinet ad naturales, hi quoque non in eodem statu versabantur. Namque duo eorum genera erant, alterum illorum, qui ex concubina libera, alterum vero eorum, qui ex concubina serva *a)* nascebantur. Horum autem conditio, a matre pendens, quum servilis *b)* adeoque eum in modum abiecta esset, ut vix homines censerentur, hinc factum, ut illi speciatim, qui a concubina libera nati essent, naturales illegitimi nominentur, quia diversa omnino multoque benigniore sorte vterentur. Praeter enim libertatem, quam matri debebant, Novella 89. c. 12 patri, eos heredes in testamento scribendi, veniam impertitur *c)*, quamvis certis limitibus circumscriptam. Quod si enim liberi adsint legitimi, naturales eorumque liberi *d)* in unam vnciam, cum matre

*a)* l. 8. D. de pign. et hypoth. l. penult. D. de reb. auctorit. ind. possidendis. l. ult. C. communia de manum. Conf. НОТОНАМАННVS in tract. de spurii et legitimat. cap. 2.

*b)* l. ult. C. cit. l. 3. C. de incest. nupt.

*c)* Non autem hoc ita intellige, ac si ante Nov. cit. non licuisset patri, naturales scribere heredes. Nam vsque ad Imp. Constantini M. tempora ex testamento patris tanquam extranei succedebant. l. 45. D. de

V. et P. subst. l. 17. §. 4 D. ad Sctum Trebell. Sed Constantinus magis successionem testamentariam naturalium restrinxit l. 1. C. de Nat. et fere ademit. Valentinianus, Valens et Gratianus, infecutique Imperatores aliquantum, maxime autem Iustinianus Nov. cit. iis consuluerunt. conf. Iordens diff. 1. apud Fellenb. l. c. p. 32 seqq.

*d)* Nov. cit. c. 12. §. 6. in fin. coniunct. cum l. ult. C. de nat. liberis.

matre dividendam, salva tamen adscendentium, si qui sint, legitima, institui possunt; sin vero nec legitimi adsint, neque adscendentes, heredes ex asse vt scribi possint naturales; Iustinianus indulfit. Quia imo iis ab intestato dicta Nov. c. 12. §. 4. nulla existente prole legitima, neque legitima coniuge, duas adscripsit vncias, quarum vnani cum matre ita dividere debent, vt vnus filii portionem capiant. Quando vero aut legitimi liberi, aut legitima coniux adsint, nihil praeter alimenta paterna exigere possunt. Mirum vero non est, quod Romanae leges tam benigne prospexerint naturalium commodis, cum in hoc populo concubinas alere viris haudquaquam illicitum esset. Neque hanc licentiam Imperatorum Christianorum legibus explicite prohibitam deprehendimus, donec Leo philosophus illam abrogaret. Illi vero omnes hoc tantum egerunt, vt indirecte illam coërcerent quodammodo, ac variis constitutionibus ciues suos ab eiusmodi societate abducerent, et ad iusta vero ineunda coniugia allicerent. — *Spurii* dicebantur, quibus vel non erat pater certus, vel certus quidem, sed secundum legis tenorem pro legitimo patre haud accipiendus, vt seruus, sive is natus, sive factus e). Etsi hoc illegitimum genus matri, nisi haec illustri esset genere f), ejusque adscendentibus instar naturalium succedebat, excludebantur tamen a successione patris, quem omnino non habere credebantur. Acerbior eorum conditio erat, qui ex damnato coitu in lucem editi fuerunt.

e) L. 23. D. de statu hom. l. 25. solut. matrim.  
D. de captiv. et postl. l. 3. C. f) l. 5. C. ad Sectum. Orfic.

runt. Liberi enim adulterini in sensu iuris Romani *g)* atque incestuosi cum paterna, tum materna quoque hereditate destituti, ne alimenta quidem ex bonis parentum iure suo expectare poterant. *h)* Omnia haec iura, quibus illegitimi carebant, spectabant non alia nisi iura familiae. Intuitu enim iurum civitatis, omni originis probro vacui, legitimis fere pares putabantur, atque ad ipsos in republica honores dignitatesque aspirare poterant *i)*.

## §. II.

*Conditio liberorum illegitimorum 2) apud Germanos:  
primum de eorum ignominia  
apud veteres.*

Si ad antiquissima Germaniae tempora, quantum illa nobis per historiae lucem aliquatenus aperiuntur, redeamus, incolas ejus, quantumvis bellicosi morumque culturae et disciplinae expertes fuerint, adeo tamen honestae castitatis studiosos in uniuersum legimus fuisse, ut, matrimoniis sancte seruatis, publicatae pudicitiae nulla venia concederetur *k)*. Quid mirum igitur, quod barbarae nationes, in ipsis criminibus

*g)* L. 6. §. 1. l. 34. §. 1. D. de adulterio eiusque poena. Recte itaque VVLTEIVS in Iuris prud. Romana p. 279 ait: "adulterium ex foemina aestimandum est, non ex mare."  
*h)* Nov. 89. c. ult. auth. ex complexu. C. de incest. et inutil.

nupt.  
*i)* L. 3. §. 2. de decurion. l. 6. praed. Thomassii Diss. cit. §. 3. nota. d. Hotomannus l. c. cap. 3.  
*k)* C. Tacit. de M. G. cap. 18 et 19.



nibus puniendis modum seruare nesciae, non solum extra matrimonium concumbentes, sed et ipsos illegitime natos summo odio poenisque persequerentur. Femina igitur, cui vitium illatum erat propter laesam castitatem, etiam bonae existimationis iacturam faciebat, tantaque laborare infamia censebatur, vt nemo postea eam sine summa ignominiae nota vxorem duceret *l)*. Legimus in epistola Wunfridi siue Bonifacii, Germanorum Apostoli, ad Etheldum, regem Angliae *m)*, Saxones, Cimbriam incolentes, eo vsque in viciscendo stupri et adulterii crimine processisse, vt parentes virginem in domo paterna vitiatam, siue vxorem adulteratam, propria manu iugularent, corpusque cremarent enecatam. Sed et innocens amoris illiciti fructus, quasi ipse cum lacte matris mentis turpitudinem suxisset, infamia adaspergebatur, quod nempe omnium ciuitatis iurium expers fiebat *n)*. Hinc quoque illud, vt, qui sermone nobis vernaculo iurium expers dicebatur, idem censeretur cum homine omni honestate exuto, quemadmodum in legibus medii aevi vtraque locutio promiscue vsurpari solet *o)*. Illa illegitimorum miseria hinc et illinc istis temporibus tristior adhuc euasit, veluti,

B

*l)* Vnde paroemia: *qui scortum ducit, aut jam est nequam, aut parum abest, quin fiat. conf. Hertius de Paroemiis l. Germ. L. 1. paroem. 12. et B. Parentis Grundsätze des Deutschen Rechts in Sprichw. p. 82. seq. m) conf. Fabric. L. 1. Orig. Sa-*

xon. p. 67. *n)* Capitul. Franc. apud BALVZ. C. IV. p. 362 T. II. spec. Sax. L. 1. art. 37. dicitur: *Alle, die uneblich geböhren sint, die sint alle rechtlos.* *o)* V. HALTAVS Gloss. medii aevi sub v. *Rechtlos.*

ti, vt Principibus tanquam res nullius addicerentur, iisque seruire cogerentur, vnde liberi regis (Königs-Kinder) appellati sunt *p*).

Credibile autem est, Germanos, peregrinis moribus infectos, successu temporis discrimen aliquod fecisse inter spurcos atque naturales. Quum enim in imperio Romano occidentali ferius prohibitus sit concubinatus, quam in Oriente, admodum est vero simile, eum ex Italia primum ad Gallos, deinde ab his quoque cum aliis vitæ opulentioris et liberioris consuetudinibus ad Germanos transisse. Exempla enim in historia medii æui exstant, quæ naturales testantur ad summos interdum honores pervenisse *q*). Postquam Gregorius VII, audacissimus ille pontifex, cuius vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat, clericis matrimonia inuenda, imperium pontificum augendi et magis firmandi causa, interdixerat, imprimis hi concubinatui dediti erant, et quidem adeo, vt sero tandem ab eo avocari potuerint *r*). Pluribus Pontificum, et conciliorum inordi-

tis

*p*) Ins. Dan. L. III. c. XIV. §. V.  
 Marchioni Balesi hoc ius 1478  
 Fridericus III. Imp. confirmavit.  
 conf. Heineccius in antiquit.  
 Germ. T. II. p. 435. et de Sel-  
 chöv in diff. de infamia sect.  
 II. §. 12 et 13.  
*q*) conf. I. H. BOEHMERI. E. P.

T. II. L. III. tit. II. §. 15 seq. et  
 HEINECCIUS Antiquit. Germ.  
 T. III. p. 332.

*r*) Vnde: Pfaffendime s. Pfaffen-  
 magl, Pfaffenkinder, i. e. cle-  
 ricorum concubinariorum li-  
 beri. conf. HAUPT in Gloss.  
 Germ. m. a.

dis 1), et in primis constitutione Leonis X. 7) concubina-  
tu seuerè clericis vetito, in Germania duabus Imperiile-  
gillus 2) personis omnibus, siue Ecclesiasticis, siue secularibus,  
interdictus est. Itaque concubinatus licentia sublata, differen-  
tia etiam inter spurios et naturales euauit.

§. III.

*Reliquiae illius ignominiae in iure hodierno.*

Ex ignominia illa, qua illegitimi quondam in patria  
nostra habebantur, adhuc superest, quod *leuis notae macula* la-  
borant, quae in contemptu consistit publico, cum iactura cer-  
terum iurium ciuilitatis coniuratio. Huc pertinet ante om-  
nia, quod vel hodie adhuc rigoris illius, quo apud veteres Ger-  
manos cautum erat, ne quis, nisi legitime natus, iudex esset 3),  
vestigium aliquod superest in supremis imperii nostri tribu-  
nalibus, dum a facultate ad munia Adfessorum iudicii came-  
rae acque aulae imperii contendendi omnes illegitime nati  
excluduntur 4). Pari ratione etiam opifices, cum Saec. XII.  
propria collegia condere coeperint, prospexerunt sibi, ne  
extra matrimonium natos in sua corpora reciperent, quoni-

B 2

am

1) Diff. 28. can. 2. c. 3. X. De  
cohabitatione clericorum et  
mulierum. conf. G. Calixti de  
coniugio clericorum liber. cap.  
XXI. p. 533.  
2) L. VII. Decret. l. V. tit. 16. c. 1.  
3) Ref. polit. de a. 1530. tit. 13.

et de a. 1577. tit. 26.  
4) conf. Cl. Plitt in diff. de le-  
vis notae macula secundum  
ius Germ. §. 4.  
5) Ius Prou. Alam. c. LXXV.  
6) Ord. Camer. P. 1 tit. 3. §. 1.  
7) Ord. iud. imp. aul. Tit. 1. §. 3.

am hi privilegii sibi concessis indigni existimati sunt a).  
 Quae opificum consuetudo non solum vsque ad nostra tempo-  
 ra remansit, sed et in ipsis legibus Imperii approbata est b).

## §. IV.

*Illegitimi ab hereditate exclusi.*

Praeter ignominiam, qua illegitimi in Germania premebantur, etiam ratione successionis status eorum inferior quam apud Romanos, fuit. Medio enim aeuo, quo vt supra (§. 2) dictum est, extra matrimonium-nati tanquam res nullius sunt considerati, neque ex paternis, neque ex maternis, bonis accepisse aliquid videntur c). Pari modo bona defun-

cti-

a) Inde paroemia: Die Aeuter- und Zünfte müssen so rein seyn, als wenn sie von den Tauben gelesen. conf. B. PARENTIS Grundsaetze etc. p. 60. seqq.

b) Ref. Polit. de a. 1548. tit. 37. und aber je unbillig, daß diejenigen, so eines ehrlichen Herkommens etc. Reform. Polit. de a. 1577. tit. 38. Quibus constitutionibus nihil derogatum est recentioribus Imp. legibus: durch die Reichsgutachten vom J. 1731 et 71. die Handwerks-mißbräuche be-

treffend. conf. PLIT. l. c. §. 20 et 21. Idem multae leges particulares statuunt e. g. statuta Rügenwaldensium §. 18. in Ill. Schotti Sammlungen zu dem deutschen Land und Stadtrecht T. II. p. 106. Nulla vero constitutio acerbior, quam die Bayerische - Landes - und Policey Ordnung L. 4. tit. 1. rubr. von Handwerkszünften. art. 2. quae liberos ex damnato coitu, etsi legitimatos, a collegiis opificum arcet.

c) Spec. Alam. cap. CCCCXV. Spec. Sax. l. 1. art. 51: keine:


Si spurii non parentibus ejus, sed principi assignabantur *d*). Multae quoque conueniunt leges particulares, adhuc auctoritate vigentes, quae non solum a patris, (sed et matris hereditate expresse illegitimos excludunt, vtius Lubecense *e*), statuta Freybergenfia *f*), Luneburgica *g*), Sufatenfia *h*), aliaque plura. Alibi non nisi deficientibus legitimis illegitimi ad bona a matre relicta admittuntur *i*). Ad feudalem vero successionem adspirare iis nunquam licuisse, nec hodie licere, vix necesse

B 3:

cel-

*Mutter trägt einen Bastard.*  
Sunt, qui proverbium hoc iuri Romano non adversum existiment, et ex principio, quod partus sequitur conditionem matris, cogant, ancillam igitur proprios liberos non habere. v. Hertius de paroemiis Germ. L. r. paroem. 4. Sed ipse contextus, in quo speculator hoc proverbium adducit, suadere mihi videtur, vt de excludendis a successione materna illegitimis intelligam. Verba enim, quae in speculo hanc paroemiam proxime antecedunt, haec sunt: kein ehelich Mann, noch ehelich Weib, nimt eines Mann Erb, der unrechte Ehe hat. — Ceterum idem quoque in Burgundia obseruatum est. conf. Chassenaeus in consuetud. Burgund. rubr. 8 §. 3. princ. vbi dicitur: Le bastard ou

- bastarde ne vient ab intestat a la succession de pere, ne de mere.  
*d*) Quod ius domini nominabatur ius BASTARDAGII s. *Bastardisae*. Conf. Gloss. manuale med. et infim. Latinitatis sub hac v. et de Selchov diff. cir. l. c.  
*e*) L. II. T. II. art. 9. *Unehliche Kinder nehmen kein Erbe*  
*f*) In Ill. C. F. Walchii vermischten Beytragen zu den deutschen Rechten T. III. p. 167. ibique nota editoris.  
*g*) Statut. Luneb. P. I. tit. 2: *Aber nach unserm Stadt-Recht erbt kein unehlich Kind die Mutter so wenig als den Vater.*  
*h*) conf. Emminghausii Memorabilia Sufatenfia P. III. documentorum. nr. 3.  
*i*) Ius Prov. Hadel, de a. 1583. P. 3. tit. 16. in f. conf. Puffendorf obs. l. V. T. I. obs. 88



cesse moneri, atque consensu cum domesticarum *k*), tum peregrinarum legum testatissimum est.

§. V.

*Illegitimis legitimationis concessa facultas.*

Quando iure particulari patrio destituimur, hodie, recepto iure peregrino, sequimur ea, quae Romanorum prudentia de successione illegitimatorum ordinavit. Etsi vero hoc loco inter doctores disceptabile sit, utrum principia, respectu naturalium in codice Instiniano stabilita, apud nos ad spurios, cum concubinato sublato naturales in sensu iuris Romani non agnoscamus, ex interpretatione benigniore applicanda sint *l*), nec ne, super sedere tamen potero hac quaestione, quae longius me a proposito meo avocatura esset, siquidem hoc certe in confesso est, quod magis ad rem pertinet, in eo cuiuscunque demum generis illegitimatorum conditionem hodie convenire, ut ad legitimationis beneficium adspirare, ejusque participes fieri possint omnes. Quod autem communi hac sorte censeantur, id humanioribus, quae religio Christiana secum tulit, scitis debetur. Iure enim canonico, quod, ut in aliis, ita in hoc quoque negotio, acquisitum est, non solum spuris, sed ex damnato coitu quoque natis, ad legitimatorum obtinendam conditionem, via relinqu-

*k*) Ratione feudorum imperii. v. A. B. c. 7. §. 2. 3.  
*l*) conf. Koch in tract. de success.

lab intestato. §. 33. ibique alleg. G. St. Wielandii Opuscul ap. 263.

tur m). In Germania autem nostra hanc adhucdum valere functionem, consentiunt omnes, atque praedictis etiam multis confirmare, haud est difficile n).

CAP. II.

DE

NOTIONE LEGITIMATIONIS EIVS-  
QUE MODIS.

§. VI.

*Definitio generalis, secundum ius Romanum et Germanicum.*

**L**egitimationis (siccet enim vocabulo vti semel recepto o) exploraturi notionem, triplici, pro ratione nostri instituti, opus habemus finitione. Primum enim sensu generali legitimatio est ille actus, quo liberis illegitimis tribuuntur iura legitimatorum. Deinde, si eandem definitionem ad legitimationem iuris Romani applicamus, erit actus ciuillis, quo liberi *naturales* vel omnia, vel certa quaedam iura familiae consequuntur. De-  
ni-

m) c. 10. X. qui filii sint legitimi. c. 13. X. eod. Vid. I. H. BOEHMERI Diss. de legitimatione ex damnato coitu natorum. §. 16. seq. Idem in Exercit. ad Pandectas T. I. pag. 365.  
n) Conf. de BERGER in Elect. biurispr. erun. p. 356. se. de

Puffendorf Obl. T. I. obs. 163. et 164.  
o) Inculat illud, vt barbarum et minus latinum, NOLTENIUS in Lex. Lat. linguae antibarbar. p. 601 et si occurrit in corpore iuris Canonici c. 13. X. qui filii sint legit.

nique vero si eam secundum ius Germanicum species, adum esse intelliges, quo liberi illegitimi et iura legitimorum familiarum, et iura quaedam ciuitatis, quibus alioqui propter leuis notae maculam carerent, vel vtraque simul, vel haec tantum, excusis prioribus, consequuntur. Quid igitur vtraque legitimitio, Romana et Germanica, commune habeat, et quid cuique proprium sit, ex his jam patet. Propria nimirum Germanicae haec duo sunt, primo vt ad omnis generis illegitimos pateat, deinde vt ratione quorundam iurium in ciuitate, quibus illegitimi carent, semper effectum habeat.

### §. VII.

*Triples legitimandi modus 1) apud Romanos.*

Ante Constantinum M. legitimitio, tanquam ordinarius, naturales natalibus suis restituendi, modus, ignota fuit. Hic vero Imperator primus p), quo ciues a concubinato ad iusta matrimonia alliceret, constituebat, vt pater, qui matrimonium cum concubina sua iniret, patriam potestatem in liberos antea ex ea natos acquireret, hi autem iura e matrimonio natorum consequi possent q). Cui legitimandi modo a  
Theo-

p) L. 5. C. de liberis naturalibus. Nou. 89. prooem. Conf. Godofredus in comment. ad C. Theodos. ex edit. Ritteri. T. I. p. 393. seqq. — De variis periodis

legitimationis per subsequens matrimonium imprimis legitimeretur IORDENS Diff. I. Cap. 6.

q) L. 3. C. de natur. liberis.



Theodosio iuniore r) alius est additus, quo is, qui filium naturalem in numerum decurionum adscripserat, aut filiam naturalem in matrimonium decurionis collocandam promiserat, iura patris, liberi autem, ita legitimati, iura legitimorum adipisci potuerunt. Denique Iustinianus nouam prorsus rationem iniiit, dum concessit, vt per rescriptum Principis idem obtineri posset, quod antea vnice per subsequens matrimonium et oblationem curiae obtineri potuerat s). Potestatem igitur liberorum dedit naturalium patri, et ipsis liberis naturalibus t) sacrum Imperatoris oraculum adeundi, primum, si fieri non posset, quin pater concubinam vxorem duceret; deinde, si

C

g) IUSTINIVS ad hoc legitimati-  
onis genus confectionem do-  
talium instrumentorum des-  
iderat l. 10. C. de nat. lib. Nou.  
89. c. II. p. — Caeterum in  
legitimatione nullam fictionem  
retrotrahendam ad tempus con-  
ceptionis interuenire, plurimi  
doctores recentiores docent,  
et recte quidem, quod cum ex  
iure Romano, tum e iure cano-  
nico planum est. arg. Nou. 89  
c. II. N. 78. c. 4. C. 6 et II. et  
qui Filii sint legitimi. conf. l.  
II. BOEHMERI. E. P. T. IV. p.  
275 seqq. EIVSDEM Exercitat.  
ad Pandectas T. I. exerc. XX.  
p. 879. seqq. IORDENS diff. II.  
c. 2. per tot.

h) Nou. 74. praef. N. 89. c. 9.  
Ante Iustinianum Imperatores  
gentiles per rescriptum, sed

extra ordinem, legitimarunt.  
l. 57. D. de ritu nuptiarum.  
i) THOMASIVS in diff. cit. c. I.  
§. 12. nota d. existimat, ince-  
stuosos et adulterinos liberos  
rescripto principis iure Roma-  
no legitimari potuisse, propter  
verba Nov. 89. c. 9. et *mulier  
apud eum sit non sine peccato.*  
Sed in hac nouella liberi ince-  
stuosi et adulterini eo minus  
sub naturalibus intelligi pos-  
sunt, quia in eadem constitu-  
tione capite ultimo dicitur:  
*Omnia qui ex complexibus aut  
nefariis, aut incestis, aut dam-  
natis processerit, iste neque na-  
turalis nominatur, neque a len-  
dis a parentibus.* Rectius ita-  
que GODOFREDVS verba il-  
la explicare videtur ex l. 7. C.  
de incest, et in vitil. nuptiis.

nulla exstaret legitima proles; denique, si patre legitimationem petente consensus naturalium filiorum accederet *u*). Quum enim horum saepe interesse posset, cauere, ne in patriam eaderent potestatem, propterea quidem consensus illorum haud satis certo supponi poterat, sed lege requirendus erat. Sed concubinato in Imperio orientali postea per Leonem Philosophum *x*), ac deinde per Constantinum Porphyrogenetam *y*) interdictio, ibi quoque omnis legitimatio euanuit, quae non nisi in solatium naturalium liberorum sancita haud quaquam simul spuris concedi potuit, quorum longe alia fors esse credebatur.

### §. VIII.

*Modi legitimandi 1) in Germania a) per subsequens matrimonium.*

In patria nostra triplicis illius modi, quo apud Romanos illegitimi iuribus legitimorum donari solebant, duo tantum genera sunt, quibus utimur. Primum enim legitimatio fit per subsequens matrimonium, deinde per rescriptum Principis. Tertium enim genus expirauit, etsi medio aevo in locum oblationis curiae clerici oblationem curiae coelestis, s. monasterii, tanquam legitimatiois modum, inuexisse videntur *z*). Quod-

*u*) Consensum liberorum Iustinianus in omni legitimationis genere desiderat N. 89. c. 11.  
*x*) Nou. Leonis 91.  
*y*) Harmenopuli manual. legg.

L. IV. c. 7.  
*z*) Conf. SWARZEVS Diss. de antiquo ritu legitimandi per pallium §. 19.

Quod ad priorem modum, qui per subsequens matrimonium fit, celebratio eius non a conficiendis instrumentis dotalibus pendet; sed sufficit, quod matrimonium secundum praecepta iuris ecclesiastici, vel Catholicorum, vel Protestantium, sit initum. Medio aeuo (nam exempla omnis legitimationis in Germania non excedunt medium aeuum, quamuis de Franco-Gallis constet, eos prius legitimationem per subsequens matrimonium cognouisse *a*),) inter nuptiarum sollemnia etiam praesentia liberorum requirebatur. Mater enim, pendente benedictionis sacerdotalis actu, liberos ante matrimonium natos pallio suo obtegere ac inuoluere solebat, unde et nomen liberis, hoc modo legitimatis, inhaesit *palliatorum* (*Mantelkinder*), 'quod nomen non adeo pridem in desuetudinem venit *b*'. Quo ritu nihil genio illorum temporum aptius esse potuit, quibus gens parum adhuc culta res, quae sensibus percipi non possunt, certis symbolis ad tantam claritatem traducere studebat, ac si oculis cernerentur. Cum igitur liberi, sub pallio matris latentes, ex eo prodirent, de-muo ex matre, dum sacerdos iam sacrum carmen recitaret, honesta

## C 2

- a*) Cf. MARCVLPVS in appendice formul. CLIII seqq. apud BALVZIVM T. II. p. 464.  
*b*) Vocantur v. c. adhuc ita in D. Henrici Iulii, Ducis Brunsvicensis ac Luneb. constitutione:

*von Ehebruch und Hurerey, wie auch den Mantelkindern de a. 1693. d. 14. Jan. Porro etiam in Recess. Gandertheimensi de a. 1601.*



honesti et legitima nasci atque in lucem prodire videbantur c) Vnde sine dubio illa quoque consuetudo, ad huc fortasse alicubi observata, in quibusdam locis diu obtinuit d), ut liberi, dum sacerdos parentes coram ecclesia coniungeret, pallium matris manu tenerent.

## §. IX.

*De legitimatione b) per rescriptum in genere.*

Probabile est, Imperatores Romano-Germanicos cum studio iuris Romani, tum exemplo Pontificum e) adductos fuisse, ut et ipsi ius legitimandi sibi arrogarent. Primum, quod occurrit, exemplum eiusmodi rescripti Caesarei et saeculo XIII nobis superest, in quo Imp. Fridericus II. IOANNEM

a) Verior mihi videtur haec vulgaris sententia, quam quae a SCHWARZIO diss. cit. duarum picturarum figuris defenditur, pallio nempe alteris liberos esse opertos. Optime Schwarzium refutavit C. G. KÖRRE in den rechtlichen Abhandlungen und Gutachten comment. I. Caeterum legi meretur GRYPEN Abhandlung von den Mantelkindern, quae legitur in libro eius, qui inscriptus est: *Femina Theodisca*: in eo quoque argumentum, quamquam leuius, pro sententia, quam sequor, situm esse arbitror, quod in Gallia formula sit loquendi: *mettre les enfans sous le*

*drap* i. e. legitimare infantes. Iam vero in hac lingua *le drap* non solum quemcumque pannum, sed in specie pallium mulieris denotat.

d) Hunc ritum in ipso hoc saeculo Aitorii observatum esse, asserit RICCIUS in Spic. iuris Germanici pag. 463. seqq.

e) His enim asserit illudius Innocentius III. c. 13. X. qui filii sint legit. cum declarat, se non solum in spiritualibus, sed quoque intuitu secularium legitimare posse, propter regulam iuris: qui habet maius, etiam minus habere debet.

NEM et BALDVINUM filios, quos Margareta Comes et Domina Flandriae atque Hannouiae ex BURCHARDO de AVENRIS, Canonico Insulensi, in coniugio clam contra<sup>o</sup> suscepit, legitimatos (dat. Fogiae mense Martio a. 1243) ita confirmavit, ut tanquam legitimi in paternis et maternis bonis succederent *f*). Quod ius initio Imperatores solummodo exercuerunt, eoque et illustrium et aliorum illegitimae proli iura legitimae natiuitatis concesserunt. Postea etiam Comitibus suis Palatinis potestatem contulerunt *g*), vicario quasi modo sub auspiciis Imperatorum per totum Imperium ius legitimisationis exercendi. Quum vero Statuum Imperii potestas amplificaretur, hique sub Imp. Friderico II potissimum *h*) plura iura regalia, et plenariam denique superioritatem territorialem saec. XIV, ut videtur, sibi vindicarent *i*), factum est deinceps, ut et ipsi iure imperatorio, illegitimos per rescripta legitimos nuncupandi, vterentur.

C 3

§ X.

*f*) V. EDMUNDI MARTENE et VRSINI DVRANDI T. I. Theaur. noui anecdotorum p. 1021 seqq. RICCIUS in spic. T. Germ. pp. 464.

*g*) De origine Comitum Palatinorum sententiae variae extant. Probabile est, eos olim fuisse iudices Caesarei palatii. V. GRIBNER Diss. de iure legitimandi comit. palat. §. 3. Priuatorum autem comitiuae a temporibus Friderici III. potissimum frequentes factae sunt.

conf. I. S. PERTSCHII et Berill. P. D. HAEBERLIN annotat. ad I. IAC. SCHMAUSSII compendium iuris publici pag. 311. Sunt hodie Comites Palatini personae, quibus cum hoc honore ius est concessum certa Imperatoris reservata eius nomine exercendi.

*h*) Conf. Perill. HAEBERLIN l. c. p. 418.

*i*) V. HERTII diss. de superioritate territoriali, in eius Opera V. I. T. II. p. 132.

*Immediatus legitimandi modus per Caesarem.*

Quum Imperatores, ut diximus, vel ipsi vel per Palatinos suos, siue, ut loqui solent, vel *immediate* vel *mediate*, ius legitimandi per totum imperium exerceant, de utroque modo iam singulatim dicendum est. Imperator ad eundem est, quoties immediatorum imperii civium illegitimi liberi legitimari cupiunt. Neque enim in hoc casu Comites Palatini eo iure praediti ex regula censendi sunt *k*). Nouissimum, quod scimus, legitimationis ex hoc genere exemplum est, quod superiori saeculo Imp. Ferdinandus III praebuit, cum filium naturalem, ab Antonio Comite Oldenburgico, ex nobili femina, nomine Vagnad, progenitum, 1654 in comitiis Ratisbonensibus natalibus suis restitueret, Comitique dignitate ornaret *l*). Exerceat vero Imperator hoc reservatum per iudicium aulicum, quippe cui cura causas gratiae expediendi vnice concedita est *m*).

## §. XI.

*Ius legitimandi Comitibus Palatinis datum.*

Ad privilegia, quibus Comites Palatini a Caesare donantur, imprimis etiam ius legitimandi ad preces petentium

re-

*k*) Conf. PFEFFINGER ad Vitriarium illustratum T. III p. 110 seqq. qui et plura ibi diplomata comitiuae maioris profert, in quibus expresse ius Principes, Duces, Comites et Baro-

nes legitimandi, exceptum est. *l*) PFEFFINGER l. c. *m*) Capitul. Nouiss. art. 22 §. 7. PVTTERI Diss. de summorum imperii tribunalium concurrente iurisdictione §. 22.

referri debet. Quam late vero eorum potestas respectu istius pateat, ex cuiusque Comitis Palatini comitiua diiudicandum est. Quando autem is fines privilegii sibi donati excedere videtur, is aduersus illum apud iudicium Imperii aulicum moueri, et ab hoc fiscalis auctoritas excitari potest, quamquam, quod fit frequentius, ipsi imperii Status eius modi abusum, si in praeiudicium superioritatis territorialis tendit, vitisci solent n). Alioquin cum principibus regalia ea, quae ad prouinciarum regimen spectant, expediendi potestas propria sit, in dubium quoque vocari nequit, quin Comitum Palatinorum potestatem legitimandi, quatenus salus reipublicae desiderat, certis limitibus circumscribere iis liceat o). Ne ex longinquo documenta rei huius illustrandae petam, ipsa patria aliquod eiusmodi restrictae Palatini Comitis potestatis exemplum suppeditat. Quum enim Academiae Iuliae Carolinae Praeceptoris Magnifici munus, a Maximiliano II dignitate Comitis Palatini ornatum, inter alia sua hoc etiam ius proprium habeat, quod, qui illo munere fungitur, auctoritate Caesarea illegitimos natalibus honestis restituendi facultatem exercere possit; variis *Seuerissimorum Ducum Brunouicensium* constitutionibus cautum est, ne illegitimus quisque, nisi antea impetrata Principis venia, ab academiae Praeceptoribus valide legitimeretur. p)

§. X.

n) Conf. MOSERS Betrachtungen über die Wahlcapitulation K. Ioseph. II. T. II, p. 304.

o) V. GRIEFNER Diss. de legit. Comit. Palat. §. 10. p)

## §. XII.

*Legitimatō per rescriptum Status Imperii.*

Territoriali imperio Statibus Imperii concessio legibusque confirmato, exercitium etiam omnium eorum iurium iis tribuendum est, quae ex eo dimanant, nisi interueniant reseruata peculiaria Caesarum. Huius generis autem non est illa praerogatiua, de qua loquimur. Et si enim Imperatori per totum imperium tribuenda est potestas beneficio legitimatōnis spuris subueniendi, propter eaque haec potestas tanquam eatenus reseruata considerari possit, ea tamen minime excludit Dominos territoriorum ab eodem iure, quod potius et per naturam rei, et per obseruantiam valde diuturnam nunquam prohibitam saluum tenent. *q)* Id miremur, quod GRIBNERVS, *r)* iurium Principum acerrimus defensor, dubitet ac neget, ciuitates imperii immediatas per rescriptum, nisi vel ex singulari Imperatorum concessione, vel immemoriali praescriptione, ius legitimandi vsurpare posse. Sed opinioni eius ipsae imperii leges aduersantur, quippe quae ciuitatibus superioritatem territorialem, exercitiumque regaliū

ex

*p)* Cautum hoc est in recessu BVRGDORFIENSI de a. 1728. §. 21. Rescript. AVGVSTI WILHELMI de a. 1729. d. 2. Iunii. *q)* Iam a. 1553. Elector Brandenb. Ioachimus collegio der Gewandtschneider, qui ab eo legitimatum recipere recusabant,

rescriptis, spurios, a *maiori-* bus suis legitimatos, ad collegia opificum receptos esse. V. SCHERLIZ consuet. March. p. 305. *r)* In diff. de iure legit. Comit. Palat. §. 6.



expresse concesserint. 1) Huc accedit, quod exempla ad-  
sint, quae probent, ciuitates non minus, quam Principes  
legitimationis beneficio, haud prohibente Caesare, spurios  
affecisse. 2) Neque adeo immediatos Nobiles ab hoc iure  
excludendos esse putauerim, quia et his functionibus impe-  
rii iura, quae principes in suis territoriis exercent, sunt adtri-  
buta 1).

Ex illo igitur a nobis stabilito principio, quod Principes  
Statusque imperii, vi superioritatis territorialis, ciuibus  
potentibus, illegitimae proli succurrere possint, haec duo  
etiam consequi videntur: primum, vt Principi, illegitimos  
cum suos et proprios, tum Comitum et Baronum Landsas-  
siorum legitimandi ius debeatur. Quod ad hos spectat, res  
plane non est dubia et omni exceptione maior; quod autem  
ad illos, non ausim sine omni restrictione adfirmare aliquid.  
Nam si de illegitimis Principis filiis sermo est, ex concubi-  
na susceptis, quae non est persona immediata, nemo quidem  
dissentiet. Sed quod ad natos matris immediatae illegitimos  
alia quaestio est. Ambiguum enim, num princeps iurisdic-  
tionem in coniugem atque liberos habeat, nec ne. Quum au-  
tem

## D

1) l. P. Osnab. Art. V. §. 29. et  
art. VIII. §. 4.

2) Conf. G ANCKELMANN de  
successione ab intestato libero-  
rum naturalium et spuriorum  
in bona matris eiusque colla-

teral. iuri statut. Hamburgensi  
non aduersante. §. 4. nota 5 v-  
bi exemplum profert, quod  
magistratus Hamburgensis per  
rescriptum legitimauit.

1) Proiect. Cap. perpet. art. 15.

rem et nix Principis, ejusque legitimi liberi immediati sint, viorem sententiam esse, arbitror, eos iurisdictioni domini territorialis subiectos non esse x). Contrarium affirmant isti quidam antiquiores paullo accuratius legibus Romanis adhaerendo y). Iam vero quod ad illegitimos attinet ex matre immediata, propterea quidem, quod eius conditionem sequuntur, atque hinc et ipsi immediati sunt, a Caesare solo legitimandos esse, dixerim, cui hoc ius ex obseruantia imperii reservatum est. Caeterum hanc materiam in praxi admodum incertam esse, ipse fatetur MOSERVS z). Alterum, quod ex supra dictis consequitur, hoc est, ut Princeps in alieno quouis territorio hoc exercere ius nequeat, omnique in territorio, cui legitimatus subiectus est, effectum careat eius usurpatio.

Num vero is illegitime natus, qui forte a suo Domino territoriali legitimorum natalium beneficio donatus est, acquisite honestioris conditionis effecta transferre etiam in aliam quandam imperii prouinciam ac postulare possit, ut nouus quoque Dominus illa agnoscat iura, quae sibi a pristino Domino concessa fuerint, illa quaestio dubia est omnino, et admodum inter prudentes agitata. Illam nec negare, nec affirmare ausim, quum admodum sit impedita alia quaedam quae-

x) Conf. SCHOENENS Bedenken, ob eines regierenden Fürsten und Landes-Herrn Gemahlin ihres Gemahls Unterthanin sey.

y) V. C. A. BECK in diff. de potestate et iurisdictione Principum, speciatim s. R. Imperii in liberos.

z) In compendio I. Publ. p. 323.

quaestio, in qua hic quidem totius rei cardo versatur, et a qua modo dictae controuersiae disceptatio prorsus suspensa est, quatenus nimirum iura territorialia extra territorium vimfortiantur. Iam vero si primum concedas, Principes imperii aequo modo esse Dominos sui arbitrii; deinde si cogites, eos praeterea communi quodam nexu inuicem copulatos et cognatos esse, secundum quem alter alterius iura rata habere velit, quia, dum rata habet alterius iura, sua etiam defendit et firmat; hinc quidem roboris aliquid adipisci videtur illorum sententia, qui quaestionem hanc affirmant *a)*. Verum tamen amplius nihil ex his argumentis fluere videtur, quam prudenter facere Principem, si in casu isto alterius Principis legitimationem agnoscat. Neque plus mihi exempla, quae ab affirmantibus in medium proferuntur, probare videntur, quam conuiuere solitos esse Principes, dum agnoscerent aliena huius generis iura territorialia.

CAP. III.


DE

LEGITIMATIONIS EFFECTV.

§. XIII.

**E**ffectus, quos legitimatio apud Romanos producebat,  
D 2 par-

*a)* Conf. GRIENERVS in Diss. de iure legit. Principum imperii. §. 12. - 28. Ibi etiam recensum eorum inuenias, qui contrariam sententiam amplectuntur. MASCOVII principia iuris publici edit. nouiss. p. 773.



partim ad parentes partim ad liberos spectabant. Ratione illorum vis restitutorum natalium in acquirenda patria potestate potissimum se exerebat, quae, quamuis in Imperatoribus Constantino atque multo magis Iustiniano imminuta, non sine omni fructu commodoque fuit, si modo, vt hoc vnum adducam, iurium successionis, atque peculii rationem habeas *b*). Intuitu vero liberorum efficiebat quidem legitimatio, vt, quibus illa contigisset illegitime natis, subiecti patriae potestatis essent, sed simul afferebat magni momenti emolumenta, quoniam iurium agnationis, familiae, nobilitatisque paternae participes reddebantur, ideoque prorsus eodem, quo ex matrimonio nati homines, modo non patri solum, sed omnibus etiam agnatis heredes succedebant. In eo tamen conditio naturalium curiae oblatorum inferior fuit ea, qua reliqui legitimated fruebantur, vt hi patri tantummodo non autem adscendentibus succederent *c*). Hoc respectu eius modi legitimatio non inepte imperfecta dici poterat. Quum supra dictum sit, naturales nullis ciuitatis iuribus caruisse, per se patet, intuitu horum legitimationem nihil vtilitatis praebere potuisse, neque ea vnquam fuisse opus.

#### §. XIV.

*Effectus 2) in Germania a) ratione iurium ciuitatis.*

Praecipuus omnis legitimationis in Germania fructus

D 3

in

*b*) §. 2. I. per quas personas cui- *c*) L. 3. C. de nat. lib. que acq. Nou. 89. c. 13.

in eo consistit, vt ope eius illegitimi, leuis notae macula absterfa, ad omnia ciuitatis iura adspirare possint. Siue igitur aliquis per subsequens matrimonium, siue per rescriptum Principis legitimatus sit, in collegia opificum recipi *de* et ad omnes honores dignitatesque contendere potest, nisi iura particularia contrarium disertis verbis constituent *e*). Quod vero ad munus Assessoris Camerae Imperii, ac Consiliarii aulae Imperatoris *f*) attinet, ad hoc legitimatos admitti non posse, ipsa verba Ord. Cam. clare constituere mihi videntur *Deßgleichen sollen die Beystzer alle eines ehrliehen Wesens, auch rechter, natürlicher, ehrlieber Geburth seyn. g*). Cum enim in omni legitimatione ea fictio adsit, vt liberi extra matrimonium nati legitimi essent, citato loco O. C. excluduntur, quia requirit, vt ex vero matrimonio legitimo (*rechter, ehrlieber Geburt*) descendant. Neque igitur video, vnde fiat, vt non nulli contrarium adfirmant *h*).

## §. XV

*d*) Conclus. Imp. d. a. 1731. §. II.

*e*) V. supra §. III. n. b. in fine.

*f*) arg. I. P. O. art. 5. §. 54.

*g*) P. I. t. 3. §. h.

*h*) In his est Cel. EICHMANNVS in den Erklärungen des bürger. Rechts T. III. p. 345 seq. vbi pronocat in primis ad Mundii de Rodach tract. de Comit. Palat. c. 3, quem rationibus atque exemplis declarat

*sc.* ait, legitimatum ad munus Assessoris C. I. admitti posse. Legi cap. cit. illius tractatus atque relegi, neque vero rationes, neque exempla deprehendi, quibus id patefiat. Quobus tantum verbis scriptor ille dicit, doctores quosdam esse, qui legitimatos ab Assessoratu excludant.

## §. XV.

*Effecta subsequenti matrimonii b) ratione iurium  
familiae.*

Legitimitas per subsequens matrimonium secundum ius hodiernum, praeterea, quod leuis notae maculam abstergat, insignia etiam commoda intuitu iurium familiae affert. Pater beneficio eius patriam potestatem er, quae cum ea cohaerent, emolumenta in liberos naturales, atque hi iura *legitimorum* consequuntur. Inter haec iura, quorum ita legitimitati participes fiunt, maxime eminentius successione, de quo proinde paullo accuratius erit agendum. Quum vero in Germania non in omnia bona secundum eadem leges succedatur, sed in quibusdam successione ius ex Romanis legibus, in aliis autem ex aliis principiis diiudicandum sit, nulla existit de eo controversia, vtrum ad prius illorum genus per subsequens matrimonium legitimi redditi tanquam heredes admitti debeant; namque iure Romano illi promiscue cum legitimis ad hereditatem paternam vocantur, nec inter vtrumque liberorum genus differentia obtinet i).

Ad bona, in quibus norma succedendi cum iure Romano non conspirat, in primis pertinent feuda; in quibus quaestio an legitimitati succedant, nec ne, vel ex iure feudali communi, vel ex iure particulari, vel ex legibus privatis decidenda est. Quod attinet ad ius feudale commune, docto-

res

i) L. 10. C. de nat. lib.

res mirum in modum ratione huius quaestionis inter se discrepant, et in tres potissimum sententias abeunt. Alii enim omnes, qui ante successionem delatam legitimi sunt, ad hereditatem feudalem vocandos esse censent *k*). Sed horum opinio expressis verbis textus II. F. 26: *Naturales filii, LICET POSTEA FIANTE LEGITIMI, ad successionem feudali non admittuntur*, repugnat, idcirco merito a plurimis explora est. Alii, contrarium magis probabile rati, omnibus, nisi legitime natis, feudalem successionem ob eam praecipue causam denegant, quod verba laudati textus generalia sunt, neque inter vario modo legitimos distinguunt *l*). Alii denique discrimen adhibendum esse censent inter hos, qui subsequente matrimonio, atque illos, qui rescripto natalibus restituti sunt, quorum illis successionem in feuda concedunt, his vero denegant *m*). Ratio textus allegati, a cuius interpretatione decisio huius controversiae vnice pendet, quoniam legitimi a feudali successione remouentur, in eo sita est, ne personae, ex sanguine primi acquiritoris legitime non descen-

*k*) I. F. RHETIVE in instit. iur. publ. L. I. c. 20. 7. seq. I C. V. IACTVS in comment. ad IV. Feud. 12 etc.

*l*) Quam sententiam de receptionibus in primis defendunt I. G. HAVER de success. legitimorum per nuptias exsule in feudis. AYERER progr. de exclusione legitimor. a success. feudali. RÜFTMANN in obs.

I F. obs. 22. c. F. SCHORCH von der Unfähigkeit der Mantskinder zur Lehnfolge.

*m*) STRYCK de success. ab intest. diff. l. c. 3 §. 28. in f. STRVVI Synt. iur. F. c. 9. aphor. VII. n. 13. HORN Jurispr. F. c. 15. §. 3. Perill. G. L. BOEHMERI princip. I. F. §. 123. n. c. et §. 433. n. a. ibique allegati.

condentes, ad eam perueniant. Cessat autem haec ratio in  
iis, quos subsequens matrimonium legitimos reddidit. Hic  
enim cum ab iisdem parentibus, qui nuptias iustas postea ine-  
unt procreati sint, plane legitimis aequiparandi sunt, quia  
praecipiente c. 6 X. *qui filii sint leg.* tanta vis matrimonii est,  
ut, eo interueniente, et antea progeniti pro legitimis habeantur,  
proptereaque de iis dubitari nequeat, quin a tempore  
huius legitimationis a primo acquirente legitime descendant.  
Aliter res se habet intuitu illorum, qui rescripto natalibus res-  
tituuntur; primum enim illi a parentibus geniti sunt nullo  
vniquam coniugii vinculo coniunctis; deinde Principis maie-  
stas iis quidem iura legitimorum in certis casibus tribuere potest,  
eo autem non valet, ut ex sanguine primi acquirentis legiti-  
me descendisse videantur; accedit porro, quod textus inde-  
finite loquatur, non autem in vniuersum omnes quomodocun-  
que legitimatos expressis verbis excludat, eamque ob causam  
verba eius ad rationem, ex qua legitimati a feudali successio-  
ne remouentur, restringendus esse videatur. Quam inter-  
pretationem etiam legibus Germanicis antiquis haud repu-  
gnare, maxime probat *Ius Prov. Aleman.* in quo cap. 378.  
§. 1. dicitur: *Hat aber ein Mann ein Frauen zu lediglichen  
dingen und had kind wenig oder vil und nimt er sy darnach  
zu rechter ee was kind sy mit einander gehabt babent do sy  
sinander zu der ee namen do seint sy alle rechte eekind wor-  
den und erbent eygen und Lehen von vatter und von der Mu-  
ter und von andern iren freunden als wol als die Kind die sy  
darnach*



naeb gewinnen. n). Iure particulari feudali hinc et illinc ex-  
serte quoquo modo legitimati a successione in feuda exclu-  
duntur, vt in Ducatu Magdeburgensi o), Electoratu et Duca-  
tu Brunsvicensi p) aliisque Germaniae provinciis q) consti-  
tutum est. Si autem leges priuatae adsint, quae de casu dispo-  
nant, has obseruandas esse, vix monendum est.

Quae hactenus de feudis dicta sunt, ea quia ad succes-  
sionem in fideicommissa familiae, siue allodia auita appli-  
canda sint, dubitari nequit, quia in his etiam ex pacto et  
prouidentia maiorum succeditur, ideoque eadem succedendi  
norma valet, quae in feudis r).

§. XVI.

*Effecta legitimatonis per rescriptum Imperatoris et Comitum  
Palatinorum.*

Effectus legitimatonis vel ab Imperatore ipso, vel au-  
thoritate eius Palatinis suis concessae regulariter tantum iura

E

ciui-

n) BAVAR diff. cit. §. 24. ver-  
bum Lehen non de feudo in-  
telligit, sed de bonis villicis,  
quia et haec medio aeuo *Le-  
hen* vocata sint. Sed 1) iam  
Saec. XII *Leben* pro feudo vsur-  
patum fuisse, probauit I. P. LV-  
DEWIG de iure Client. p. 46  
§. 2. ibique in notis. 2) in Spec.  
Suen. nullibi reperitur, quod  
*Leben* pro bono villicali su-  
matur, sed ex pluribus locis  
I. P. ALEM. apparet, quod *Le-  
ben* (feudum) dem eygen

(allodio) opponitur, e. g. c.  
35 §. 1 dicitur: *Aygnel ein  
Herr sein Leben v.* SENKEN-  
BERG C. I. F. p. 69.  
o) In Ord. Polit. Magd. c. 44. §. 14.  
p) RECESS. promiac. Gandersh.  
de a. 1601. art. 1.  
q) e. g. in terris Marchicis per  
const. de a. 1687. Constit.  
Pommeraniae inferioris von  
Lehen- und Anstener - Sa-  
chen de 2. 1691 t. 25. §. 3.  
r) V. PÜTTERI primae lineae  
I. priu. Principum. §. 16.

ciuitatis, neque simul iura familiae speciatimque successione concernit. Medii quidem aevi historia aliquot praebet exempla legitimatorum hominum illustriori genere natorum, quibus successionem non solum in allodia, sed in feuda Imperii contulerunt s). Sed in nouissimo exemplo Ferdinandi III, qui filios comitis Oldenburgensis legitimabat, beneficium Caesareum cum nulla successione coniunctum fuit. Alioquin quod ad feuda Imperii maiora attinet, Imperatoris potestas recentioribus Imperii legibus adeo restricta est, ut pro arbitrio successionem legitimatis concedere haud possit. Quum vero potestas Comitum Palatinorum ex comitiis diiudicanda sit, ex illarum etiam tenore penderquaestio, utrum cum pleno effectu legitimare possint, nec ne t). Quoniam vero hoc legitimationis genus, quod ius succedendi tribueret, facile litibus ansam praebere possit, Domino territoriali, ut iuris supremae inspectionis, sine dubio et ius et officium est, hanc Palatinorum facultatem restringendi.

## §. XVII.

*Effectus legitimationis per rescriptum plenus vel minus plenus.*

Supereff disquisitio admodum subtilis ac dubiae quaestionis, quando Princeps ad effectum successionis (sive, ut termino artis dicunt, *plene*) legitimare possit. Alii enim,

v8

s) Supra §. 10 exemplum FERDINANDI II atque diploma LEODOVICI Bau. de a. 1344 apud MÜNIG in Cod. Diplom. T.

H. p. 1237 hoc declarat. t) Non nunquam Imperatores ius plene legitimandi Palatinis concedere testatur CAN. L. n. obf. 142.

ut Ayxerus n), quocunque casu legitimationem Principis plenissimam vim fortiri existimant. Alii contra volunt ante omnia dispici, vtrum liberi legitimi tempore impetrati beneficii adsint, nec ne; si hoc, Principis auctoritate iura familiariae, salua tamen portione hereditatis legitimis necessario relinquenda, acquiri contendunt; sin illud, non acquiri dicunt, nisi petitum sit sub clausula: *non obstantibus liberis legitimis x)*. Sunt porro, qui nulla distinctione adhibita legitimationi *et petrae impetratae* plenissimam vim asserant, salua, vero manente legitima liberorum y). Rationes autem, quibus harum sententiarum quaeque nititur, prohibere non possunt, quo minus sententiae Ill. HOEFFNERI z), quamvis aliis argumentis ad eam probandam utamur, accedere malimus. Duo nempe casus, quod et alii faciunt, caute discernendi sunt, vtrum nempe tempore legitimationis proles legitima existat, nec ne. Hoc casu legitimatos omnia iura legitimorum rescripto Principis acquirere, eo minus ambiguum videtur, quo certius id sententiae legum Iustiniani nouissimarum consentaneum esse

## E 2

- a) In diff. de rescripto legitimat. Principis plenissimam effectum tribuente, legitimi licet liberi extent. Cuius sententiam amplecti quoque videtur КОСН in tract. de succ. fl. ab inter. §. 29.
- x) GAIL L. II. obs. 142. CARPZOV P. II. C. VI. def. 27. STRYCK de success. ab inter.

diff. I. c. 2. §. 74. G. S. MADDIEN de legitime natorum portione legitima in successione cum legitimatis.

- y) FICHMANN I. c. T. III. p. 250 seq.
- z) In dem Commentar über die HEINECCISCHEN Institut. §. 683.



esse apparet. Dicitur enim Nou. 89. c. 9. a): *Sit licentia patri Imperio preces offerre, hoc declarantes, quia vult naturales suos filios restituere naturae et antiquae ingenuitati, et iuri legitimo, ut sub eius potestate cessant nihil a legitimis differentes.* Igitur in hac constitutione mentio tantum fit liberorum legitimorum iam exstantium, non autem *superuenientium*, quorum certe Imperator meminisset, si legem ad eos quoque pertinere voluisset.

Priori casu vero, exstante prole legitima, neque accedente eius consensu, nunquam legitimationem per rescriptum plenum effectum fortini putauerim in terris, ubi iuri Romano in hac materia particulari lege nihil derogatum est. Ratio huius sententiae potissimum iure perfecto fundatur, quod liberis legitimis per dictam Nouellam competit, ne, iis existentibus, illegitimi plene legitimentur. Non igitur propterea hoc modo rem illam decerno, ac si, quod contrariae sententiae patroni recte negant, liberis, viuente patre, vilius ius in eius bona haberent, atque, eo mortuo, praeter legitimam iure perfecto exigere aliquid possent b); sed omnis argumenti mei vis potius in iure perfecto liberis legitimis Nouellarum lege tributo inest, quod, legitimis existentibus, natura-

les:

a) Nou. 74. c. 3.

b) HOEFNERVS l. c. ex hac etiam ratione nostram sententiam defendit, ita aiens: *In diesem Fall erben die legitimirten Kinder nichts. Dann*

*die Ehlich-geböhrenen hatten schon ein Recht auf die Erbschaft. das ihnen durch die Legitimation nicht genommen werden kann.*

les ad eorum iura peruenire non possint. Fortasse hanc legitimorum facultatem contemnendam atque exiguae utilitatis esse dixeris, si quidem pater aliquis, qui ex illicita Venere natos magis, quam e matrimonio susceptos; diligeret, illis affluentem bonorum copiam superstes donare, eosque ad legitimam iis debitam usque heredes scribere posset. Sed omnem occasionem fraudi Iustinianus eadem Nou. 89: c. 12. §. 2. abscidit e) cauendo, ne naturalibus neque donatione, neque testamento, quando legitimi adsunt, plus vna vnica, cum concubina diuidenda, relinqui posset. *Quod moribus*, inquit Voetius d), *hodiernis tanto magis obseruandum est, quo magis concubinatus coniunctio aperte improbata est, quae iure civili tolerata erat.* Hommelio e) quidem constitutiones illae, ratione legis sublata, ipsae sublatae esse videntur; primum enim artificii illis, quibus Romani homines a concubinatu, nulla lege publica penitus extirpato, detertere student, non amplius opus esse; deinde, quia olim naturales cum legitimis in vna domo educabantur, facile fieri potuisse, vt illegitimos plus pater amaret, quam eos, qui ex vxore legitima ei nati erant. Vtrumque vero argumentum leue existimandum esse arbitror, quia, fatente ipso Hommelio, constitutio laudata lata est ad concubinatus licentiam co-

er-

e) V. etiam l. 2. et auth. *nunc solis* atque auth. *licet*. C. de liberis natural.  
d) in comment. ad Pand.

L. XXVIII c. II. §. 13. LEY-  
SER Sp. 356. §. 12.  
e) Rhspf. obi. 373. Cl. WIESSARD  
in opus. p. 274.

ercendam, iam vero hic grauius apud nos est interdictus, quam apud Romanos, neque vsquam in legibus Imperii constitutiones iuris Romani abrogatae sunt; secundo, et hodie facile fieri potest, vt pater illegitimos plus diligit quam legitimos, quamuis non in vna domo educentur, inprimis si reputes, illegitimos semper fere flagrantis atque ardentis, legitimos vero postea natos saepissime frigidioris atque iam senescentis amoris fructus esse. Quo pacto itaque tota legis ratio mutata credi possit, plane non videmus, Proinde palam est fore vt legitimi legitimatione spuriorum laedantur, etiam si iis portio debita salua maneat. Vix crediderim, aliquem mihi cum AYRERO f) obiecturum esse, etsi verum quidem sit, nemini a Principe ius quaesitum, nisi utilitate publica flagitante, adimi posse, tamen salutem communem suadere, vt alicui adiudicetur id, quo suam felicitatem stabilitate et vnde bonum reipublicae commune eo melius augere possit; fieri autem hoc eo magis, quo plures homines possideant bona; haec autem eo facilius acquiri, quo latius extendatur in aliqua familia succedendi facultas. Haec vero ratiuncula si quid valeret, sane illum Principem etiam iustum patriaeque patrem fas esset praedicare, qui diuites bonis superfluis spoliaret, eaque inter pauperes distribueret. Respondeamus igitur cum CICERONE g): *Capitalis oratio, et ad aequatorem bonorum pertinens: qua peste quae potest esse maior? Hanc enim ob causam, maxime, vt sua tenerent res-*

f) l. c. §. 13

*publicae civitatesque constitutae sunt. Ceterum doctissimus Ayrenus aut ignoravit, quod vix credendum, aut consulto sensum illius regulae, quod Principi non licet iure quaesito quemquam privare, nisi postulante salute publica, obscuravit. Verus enim eius sensus procul dubio est hic, quod Princeps nemini ius quaesitum auferre possit, nisi collidunt iura singulorum cum conservatione uniuersi b). Iam vero in illo casu, de quo nobis sermo fuit, collidunt tantum iura singulorum perfecta cum maiore unius ex singulis alicuius felicitate.*

g) de Offic. L. II. c. 21.

b) V. PÜTTERI Princip. I. P.  
§ 119.

Boae certin, in. S. de latium Wert re.





Helmsstädt, Diss., 1786-95

ULB Halle

004 327 586

3




56.



1786, 1 A  
479

DISSERTATIO INAUGURALIS  
DE  
LEGITIMATIONE LIBERORVM  
ILLEGITIMORVM  
PRAECIPVE SECVNDVM  
IVS GERMANICVM HODIERNVM.



QVAM  
AVCTORITATE  
ILLVSTRIS ORDINIS  
IVRECONSULTORVM HELMSTADIENSIVM  
PRO  
SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
CAPESSENDIS HONORIBVS

AD DIEM XIII OCTOBRIS CIOIOCCCLXXXVI

IN IVLEO MAIORI


MORIS ANTE ET POST MERIDIEM CONSUVETIS

PVBLCIE DEFENDET

ERNESTVS LVDOVICVS AVGVSTVS  
EISENHART

HELMSTADIENSIS

IVRIVM CANDIDATVS.



HELMSTADII

EX TYPOGRAPH. ACADEM. SCHNORRIANO

